



Caroli V imperatoris expeditio in Africam ad Argieram

<https://hdl.handle.net/1874/8933>

CAROLI . V . IMPER
RATORIS EXPEDITIO IN
Africam ad Argieram; Per Ni-
colaum Villagagnonem
Equitem Rhodium
Gallum,

*Ad D.G. Bellium Langæum Subal-
pinarum gentium Proregem, & pri-
mi ordinis Equitem apud Christi
anissimum Francorum
Regem.*

ARGENTORATI PER
Vuendelinum Rihelum.



AMPLISSIMO VIRO

D.G.BELLAEOLANGAEOSVBAL

pinarum gentiū Proregi, & prīmī ordī
nīs Equiti apud Christianiss. Fran-
corum Regem, Nicolaus Vil-
lagagnon Eques Rho-
dius Gallus.

S.D.P.

SVperioribus meis litteris tibi
significaui, me properantem
ad te, recrudescētibus tamen
magnitudine ac difficultate
itineris uulneribus, retardatum, & Romę
commorari coactum fuisse. Nam in-
grauescens in dies morbus spem celerio-
ris discessus ademit, atque plures quām
uoluissim dīes remoratus est. Interim ue-
rō quum tui desiderium me perpetuò so-
licitaret, & uiderem spem meae profectio-
nis paulo tardius procedere, constitui iti-
neris mei narrationem exarare, eamq; ad
te mittere, ut celeritate sua perficeret id
quod morbo præpeditus præstare nō po-
teram, tarditatemq; meā excusaret. Tuus

A ij

Franciscus Guichæus, vir omni uirtute
officioꝝ præditus, me acceptū hospitio,
summa beneuolentia prosecutus est, tan-
tumꝝ sua effecit diligentia, medicis adhi-
bitis, ut iam melius habere cœperim, ob
eamꝝ causam me plurimum ei debere fa-
tear. Ille me conantem uiam ingredi reti-
nuit, donec uires collegissem, & per uale-
tudinem possem itineris molestias ac fri-
goris iniuriam ferre. Quod nisi fecisset,
periculum erat, ne denuo in grauem mor-
bum inciderem. Nam præter dolorem,
quo me uulnern acerbitas afficiebat, cor-
pus meum ualde intumuerat, nec multū
aberam ab aqua intercute. Nunc ergo
depulso morbo, ad iter me accingā,
& dabo operam ut quam
citissimè Taurinos
perueniam.

EXPEDITIO AFRICANA

QV M æstas anteacta me in Galliam ad domestica quædam negotia reuocasset, de redditu Cæsaris in Italiam, & transmissu exercitus eius in Africam, literis amicorum certior factus sum: qui consilio Cæsaris proposito, me ad tam nobillem expeditionem accersebant. Ego uero & intelligebam religione me obstringi ad inimicos fidei (quantum in me fuisset) bello persequendos: & uerebar, ne corpus meum diuturna iam armorum exercitatione labori assuetum, otio ad labore remollesceret, si apud amicos diutius commorarer. Itaque negotia in aliud tempus reiicienda mihi esse duxi, ne honoris meo necessario tempore deesse existimarer. Consilium autem Cæsaris esse hoc significabant, quod quum se ad componendas Germanorum de fide controuersias, in Germaniam contulisset, reperit Ferdinandum fratem, & filium Ioannis, qui proxime regnum in Pannonia obtinuerat, ardere inter se discordijs, ac de iure regni uehementissi-

A iii

DE EXPÉDITIONE

mē contendere. Is, quōd sibi à Ferdinandō metueret, Turcas in suum ascuerat auxilium. Quorum aduentum ut Ferdinandus anteuerteret, Budam obsidione cinxerat, ac expugnare totis viribus adnictebatur. Quibus cognitis rebus, Cæsar prospiciens, quām magni esset momenti, Turcas finib⁹ nostris prohibere: ut eis ueniendi occasionem præriperet, partem copiarum fratris misit auxilio, quibus expugnationem acceleraret. Qui tamē munitionibus & præsidio urbis impeditus, Turcarum aduentum expectare coactus est. Quamobrem Cæsar, omissis fidei disceptationibus animum potius ad bellū adiiciendum putauit. Et quoniam magni rem esse periculi perspexerat, bellum in ea regione duci: priusquam illic hostes inueterascerent, hoc in Turchicū solum transferre constituit, & procul finib⁹ nostris propellere. Quapropter copijs, quas ad fratrem miserat, ei subsidio relictis, quum iā instantे hyeme non ita multum tēporis supereret, quo bellum cōmodē gerī posset, Ferdinandō belli curā in se interim recipiente, magnis itinerib⁹ in Italiam ad ex-

AFRICANA.

ercitum cōtendit. Quò simul ac peruenis-
set, exercitum summa diligentia cogi, &
militum nouas manus conscribi iuslit, ma-
gnumq; nauium numerum lanuæ atque
Neapoli instrui, quibus in Africam ex-
ercitum traduceret. Africa uero ei neces-
sariò tentanda uidebatur, ne in Turchi-
am proficiscens, inimicum à tergo relin-
queret, de quo metuere sibi possent Hi-
spani, quorum opera & numis ad bellum
Turchicum uti decreuerat. Coacto exerci-
tu, & nauibus ad nauigandum paratis,
dum res frumentaria expeditur, & in na-
ues exercitus imponitur, Lucæ summum
Pontificem conuenit: ut cum eo consilia
belli communicaret. Pontifex, quòd Afri-
ca minimè portuosa sit, hyemis nauigatio-
nem non esse subeundam existimabat,
atque Cæsarem à uia deterrebat. Quæ
quanuis magna causa esset, ne ipse alieno
anni tempore, in tam periculosa loca exer-
citum transmitteret, maioribus tamen ra-
tionibus impellebatur, ut in sententia per-
maneret. Videbat enim quantoperè ab
hostibus nostri in Pannonia urgerentur,

DE EXPEDITIONE

& quanti reip. Christianæ interesset, bellum illic non trahi, quod ut auferretur, & hostes in suis finibus bellum sustinere coegerentur, rem in celeritate positā esse perspiciebat. Sed quia tantum apparatum ex poscit Turcarum amplitudo, ut eum non posset Cæsar citius quam in eunte æstate uniuersum comparare, interim dum ei rei dat operam, Africanum bellum suscipiendo sibi esse putauit, ut Hispanos Afrorum metu liberaret, quo facilius ad Turchicam expeditionem incitarentur. Solebant enim quum ab eis ad eam rem numi exigerentur, uicinum hostem opponere, suumq; metum excusare. Quibus rationibus permotus Pontifex, uehementer Cæsar's consiliū probauit: eiusq; laudata animi magnitudine, eum dimittit. His ita constitutis rebus, Cæsar naues onerarias, Baleares insulas petere iubet, aeo loco aduentum suum operiri: ipse uero nauibus lōgis sex & triginta ex portu Veneris soluit, & ad Corsicā insulam contendit. Qui quum secūdo uento in altum prouectus esset, subita coorta tempestate, classis cursum

AFRICANA

sum tenere non potuit, sed in diuersas par-
 tes disiecta est: at ille remis contendit, quē
 septem aliæ secutæ naues eam insulæ par-
 tem ceperunt, quæ Italiam spectat: ubi eū
 uenti duos dies tenuerunt. Sedato mari,
 quē aberrauerant naues à cursu reuertun-
 tur, quibus appulsis Cæsar in Bonifaciū
 oppidum profectus est: quod in monte
 tribus ex partibus, circunciso, aspero &
 difficiili est situm: ad aliam partem est
 aditus, ab imo anfractu, qui oppido pro-
 fossa positus est. Hoc autem nulla realia
 est quām portu memorabile. Cæsar idone
 am tempestatē nactus, in Largheram no-
 bilem Sardinie urbem secundis uentis ap-
 pulit. Vbi res insolita cōtingit. Qua enim
 nocte eò accessimus, bos uitulum bicipi-
 tem peperit: quem mulier, cuius bos erat,
 uidendum Cæsari obtulit. Hæc urbs na-
 tura & opere bene satis munita est. omni-
 bus enim ferè partibus alluitur mari mini-
 mè portuoso, & scopulis subter aquam la-
 tentibus referto: aliā partē, quæ in insulā
 mittit, claudit murus: quem due turres ad
 utrumque latus posite, ab externa ui facile

DE EXPEDITIONE

cutantur, & quū in planicie hēc posita sit,
nullus omnino mons , aut collis promi-
net, è quibus uis in eā inferri possit. Cæsar
duos dies illic cōmoratus, soluit, & ad Ba-
leares insulas dīrexit iter: qui bīduō uelifi-
catione cōtinuata, leni uēto in cōspectum
minoris insulæ delatus est, sed quum ei in
sulæ iam appropinquaret, aduersis & re-
flantibus uentis, parum absuit, quin in cō-
trariam partē reīceret : remorum tamen
tanta contentionē naues impulsæ sunt, ut
tandē multa nocte ad terrā promote sint.
In quo ita lūdatum est, ut septē horis , nō
intermissō remigandī labore, uix totidem
milia processerimus . Reliqua noctis par-
te quieti data, diem in anchoris expectaui-
mus : quo tēpore, quum paruo spatio ab
eo quo appulsi eramus loco , Mahon por-
tus abesset, eō profecti sumus . Hic por-
tus, omnium quos uidere memini, est pul-
cherrimus, & optimus, nisi hāc difficulta-
tē haberet: Tota insulæ ora marítima mō-
tibus ingentibus septa est: sed quā est ad
portū aditus, radices montium in planitiē
extrahunt, donectam angusto interuallo

ad

ad alteram litoris partē accesserint, ut non nisi leni uento intromittant naues: cæterū rebus alijs omnibus est facilis & oportu-
nus, excurrit enim in quatuor fere milium longitudinē, uarijs & frequētibus insinua-
tionibus, quæ facile naues à maris sœvitia
tegunt. Huic perpetui montes prominēt,
è quibus immensa ligni copia peti potest.
Ad extremam eius partem in montium altitudine urbs extructa est, quæ si opere tam esset munita quam natura, non ita fas-
cile ab AEnobarbo, qui uulgo Barbarof-
sa nuncupatur, expilata fuisset. Quum duos dies tempestas classem detinuissest,
summam trāquillitatem adepti, ad maios-
rem insulam cursum intendimus. Quò aduectus Cæsar, comperit ab Italia naues onerarias centum & quinquaginta con-
uenisse, & Ferrandum Gonzagam Prore-
gem Siciliæ septem triremib; aduenisse:
quæ cum his, quas secum Cæsar adduxe-
rat, coniunctæ, quinquaginta numerum expleuerūt. Præter has ab Hispania quin-
decim longæ, & magnus nauium onera-
riarum numerus desiderabantur: quas
quum

DE EXPEDITIONE

quum triduo expectassemus, nunciauit
triremis una, reliquas iam Africam atti-
gisse, & naues onerarias eodem contens-
dere. Quo allato nuncio, Cæsar protinus
milites naues descendere, & classem se
in uiam dare iussit. Maior insula est, &
urbs nobilis: insula contra minoris insule
naturam, habet oram maritimam, planam
& fertilem, montes uero in mediterraneis
regionibus altissimos, & magna parte ste-
riles: quæ quoniam meridiem propius
quam Hispania spectat, hyeme tempe-
tior est, & frigoribus remissioribus, om-
niumque ferè fructuum copiam habet,
quibus abundat Africa: Vrbs autem est am-
pla, & pulchris ædificijs ornata, quam fe-
rè medium influit riulus, è montibus de-
currens, qui ad Ianificum plurimum ua-
let. Huius incolæ Tarragonensium parēt
legibus, & lingua ac moribus ualde cum
eis conueniunt. Ad ædificandum utun-
tur maximè terra calculis permixtis: qua
materia muri oppidi effecti sunt. Tapie
uulgo nominantur. Nauibus ad nauigian-
dum rebus omnibus instructis, Cæsar ad
Argie

AFRICANA.

Argieram urbem Africæ maritimam iter
direxit: quò bidui nauigatione prouectus
comperit trïremes, uti acceperat, aduen-
tum suum anteueruisse, atq; terram ab eo
latere tenuisse, quod ad solem occidentē
pertinet, decem ferè millibus procul ab ur-
be. quæ ubi classem nostram conspexere,
nobis obuiam processerunt: sed eis conti-
nuo eò unde fuerant egressæ, remissis ad
eam litoris partem seruandam: Cæsar ali-
quot milia progressus, in aliam urbis par-
tem duodecim naues præmisit explora-
tum, an illic tutior esset à tempestate rece-
ptus. Quibus oportuniorem esse signifi-
cantibus, urbē remis præteruectus, eò cō-
tendit, & iactis anchoris naues onerarias
præstolatus est. Ab eo loco urbs tota sub
aspectum nostrum cadebat, seçp regio la-
tè nostris oculis ostendebat. Postridie ma-
ri paulatim intumescente, soluimus, atque
locum cepimus, quem uentiminius urge-
rent. Eum Matafuz nominant. Dum eò
properatur, naues speculatoriæ duæ Tur-
chicæ in nos incidunt imprudentes, quæ
errore cognito, conuersa uelificatione, ma-
xima

DE EXPÉDITIONE

Xima remorum contentione in altum se re-
ferunt. Eas nostri persequuti, altera unius
ex nauibus nostris concursu depresso est:
altera ad terram eus sit. Cognitum est ex
captiuis eas missas fuisse, ut de aduentu et
apparatu nostro aliquid percunctando
intelligerent. Reliquam diei partem ad an-
choras expectando triuimus, dum uniuers
æ naues coeunt, & quiescit mare. Interea
Ferrando Gonzagæ & Iacobo Bosso ui-
ris prudentibus & rei militaris peritis pre-
scripsit Cæsar, ut consensa nauicula pi-
scatoria, litus præterlegentes percurreret,
ac renuntiarent, quæ optimus esset egres-
sus, ac commodiissimè exercitus exponi
posset. Ii exploratis locis omnibus, quid
perspexissent reuersi indicarunt. Sequens
dies maximā tranquilitatem attulit: quæ
Cæsar proprius urbem accessit, atque in lo-
cum omnium oportuniſſimum milites ex-
posuit: idque nullis hostibus resistētibus
effecit. Summa autem exercitus hæc erat.
Peditatus omnis numerum duorum & ui-
ginti millium explebat, è quibus Hispa-
norum septem millia è Sicilia atq; Neapo-
li adue

AFRICANA.

Ii aduenerant: Germanorum sex millia in Germania Cæsar conscripserat: Itali qui omni ex Italia coacti fuerunt, pari numero Germanos æquabant, præterea uoluntarij, qui honoris causa Cæsarem sequitierant, trium millium numerum excedere dicebantur, præter Cæsar's domesticos. Huc accedebant quadringenti promiscui generis milites, quos Equites Rhodij promiscui item generis numero centū & triginta Melita suis nauibus aduexerant. Equitum uero Cæsareorum CCCC, nauies Neapoli cōscenderant, & ab Hispania septingenti euocati. Vbi primū terrā pedites attigerūt (equites em pauci eo die nauibus emissi sunt) generatim summa coēunt alacritate, se se cō expediūt ad excipiendos hostes, qui crebris incursionibus copias nostras adequitabant. Hos, si se aggregarent, & propriū admouerent, bombardis nostri repellebant, ita ut rari disperſi cō incurrere cogerentur. Qua ratione nullum incommodum accepimus. Hostibus in proximos montes reiectis, ad urbem iter facit exercitus, et Hispanis, quos

Ferran

DE EXPEDITIONE

Ferrandus Gonzaga ducebat in acie pri-
ma constitutis, Cæsar medium aciem,
quā Germanis crediderat, dirigebat: Ita-
los autem, quibus immixti erant Equites
Rhodij, præibat Camillus Columna. Eo
die circiter mille passus progressi consti-
timus, atque ibi noctem penè insomnem
transegimus. Numidæ enim, qui montiū
iuga tenebant, se in planitiē demittebant,
atque telis ea maximè parte, quā Cæsar te-
ctoria posuerat, nos lacessebant: in quos
signa Hispanorum tria à Cæsare immissa
sunt, qui illos reprimerent, aut audacius
progredientes tardarent. Hi, nostris im-
pressionem facientibus se in montes refe-
reabant, & sylvestribus locis occultabant,
atque nostros ascensu prohibebant: uirtu-
te tamen tantum nostri potuere, ut in mon-
tes euaserint, hostesq; loco pepulerint, sed
crescente hostium multitudine, nostri spa-
cio pugnæ defatigati, recentes & integros
non facile sustinebant. Itaq; quum à pri-
ma uigilia usq; ad primam lucem pugnā
protraxissent, eis puluere, quo sphærulas
plumbeas in hostes emittebant, deficien-
te pau-

AFRICANA.

se, paucis acceptis uulneribus, ad agmen
se receperunt. Tota regio, quā uiam feci-
mus, plana est, sed impedita, et dumis atq;
herbis sylvestribus confita. hanc subluit
mare, ab eo promontorio, quō sāuiente
uento naues nostras prouectas fuisse dixi-
mus, donec urbi mille ferē passus appro-
pinquauerit: quo loco saxa & tumuli, ma-
ri oppositi, planitem interrumpunt: urbs
duodecim ferē media ducta linea milli-
bus abest à promontorio, sin autem pedi-
bus eatur, propter litoris obliquitatem, ui-
ginti millia erunt facienda. Planitem ra-
dices montium impendentium efficiunt:
& quemadmodum ora maritima sinuosa
est, ita planicie uidentur montes impositi
fuisse, litorisq; naturam sequi. Nam ubili-
toris sinuatio mollius inflectitur, et diffun-
ditur latius, maiori etiam interuallo à lito-
re montes intermittunt, & effusior plani-
ties intercedit: ubi uero sinus desinit, & ue-
lut angulo terminatur, litusq; iam non si-
nuose, sed magis directo procedit, eodem
quoq; loco è planicie colles & tumuli ena-
scuntur, qui montibus coniuncti, eam cō-

B

DE EXPEDITIONE

fundunt, quem locum mille passus abesse
ab urbe demonstrauimus. Cæsar reductis
ex monte militibus, proprius uitem mo-
uit exercitum, cui superata planicie, erant
colles & tumuli, in quos montes definere
significauimus, subeundi, ac deinde ad
montes tentandum iter. Nam constabat
iuga montium in maximam longitudinem
à latere exercitus protendi, quibus à ter-
go hostes relicti, rursus aduersus nos pro-
uolabant, agmenq; morabantur. Illi, si in
contentione durius quicquam accidisset,
quoniam ad montes facilem receptum ha-
bebant, nostros sine suo magno periculo
premebant: hos montes si nostri tenerent,
per facilè erat hostes transitu intercludere,
& liberius, minoreq; periculo in oppu-
gnationem incumbere. Qua de re pero-
portunum est uisum, Numidas è monti-
bus depellere, ac ibi primam aciem collo-
care. Quæ tametsi res erat magnæ operæ,
& laboris propter montium altitudinem
& asperitatem, uirtute tamen tantum His-
pani præstiterunt, Ferrando Gonzaga
Duce, ut expulsis hostibus in montium
fastigium

AFRICANA.

fastigium euaserint . Occupatis montibus , secunda acies consedit in collibus , quos montibus subesse diximus : & paucio infra secundum litus acies tertia constituta est . Exercitu in hunc modum disposito , urbs eum uelut angulus respiciebat , quæ ab uno latere mari conclusa , ab alijs duobus obducto exercitu , trianguli speiem effecerat : quumq; penè exercitu circumuallata esset , non magnam in extensis copijs spem habebat . Quæ quamuis a tergo nostras acies è planitiie adoriri potuissent , tamen quia loco superiores eramus , facile uenientibus restituissemus . Ad hanc nostram commoditatem accedebat , quod inter planitem & tumulos , quos Cæsar castris delegerat , crebri anfractus intercedebant , qui pro fossa hostibus objecti eorum impetum tardare potuissent . Ita cōpulsis in urbem hostibus , & rebus omnibus , quæ humano ingenio prouideri possunt , à Cæsare procuratis , inclinata in noctem die , uigilijs dispositis , se latitiae dabat exercitus : quum repentina calamitas incidit , quæ uitari omnino

DE EXPEDITIONE

non potuit. Imbrium enim uis uehementissima, prima uigilia coorta, nullam noctis horam intermissa est: quæ quanuis iniuitate sua molesta fatis esset, eam tamen longe molestiore par uentorum uis reddiderat. Nam militibus qui sine impedimentis è nauibus educti fuerant, nec amictus erat ullus, quo pluuiæ iniuriam à se propulsarent: nec tentoria, quod profugere possent. Hinc factum est, quod ipsi imbribus toti maderent, ac uentis exagitarentur, ut uires eos atq; animi deficerent. Eodem tempore supra quam cuique credibile sit, intumuerat mare, ac ita effebuerat, ut multæ naues, quæ sœvitiam ferrenon poterant, fractis funibus anchorariorum ad terram alliderent: aliæ uero fluctibus completae deprimarentur. quarum naufragio magna hominū, cibariorumque iactura facta est. Quam calamitatem magno auxit cumulo diei interuentus. Tum enim uenti atque imbres in tantam rabie creuerant, ut uix quisquam pedibus consisteret. Hanc impugnandi nostri occasio nem hostes prætermittendam non putarunt.

AFRICANA.

runt. Tum enim magno numero ac sum=mos silentio egressi, aduentu suo nostras uigilias oppressere: quibus imperfectis ad munitiones nostras prouolant, nosq; telis lacei sunt. Nos omnibus rebus subito per territi, imbribus & uentis aduersum os fe rientibus, arma tamen expedimus: & ut quisq; primum occurrerat, ita quam maximo potuit impetu in hostes contendit. Ho stes autem ad primum nostrum impe tum pedem retulerunt, ut nos elicerent in insidias, quas idoneo loco disposuerant: in quas eos persequuti incurrimus. Era mus autem numero superiores, & uirtute pares: sed ipsi & loco & armorum genere longe prestatabant. Ii enim de loco supério re pugnabant, & balistis, arcubus, lapidis bus, ac omni telorum genere nos ascensu prohibebant: nobis uero imbres sclopœ tarum usum ademerant, nullumq; omni no telum reliquum fecerant, quo hostem impeteremus: ut hastilibus, & ipso penè corporum concursu, nobis gerenda res es set. quum interim & iniquitas loci ab ea re nos inimicorumq; uelocitas retardaret. qui

B ij

DE EXPEDITIONE

nobis procurentibus cedebant, & emis-
nus tela & lapides coniijciebant. Genus
hoc pugnæ nostris erat insuetum. nam ho-
stium in uniuersum ita fert cōsuetudo, ut
nunquam conferti manus nobiscum con-
serant, & summis copijs prælientur: sed
rarinos equis prætercurrentes, telis & sa-
gittis lacessunt, ut nos ab ordinib[us] elici-
ant. Qui, ubi ex ordinib[us] excesserimus,
& impetum fecerimus, consultò cedunt,
atque se fugæ mandant. quod si studiosi-
us nos insequentes, ab ordinib[us] longi-
us progressi fuerimus, illi conuerso cursu,
plures paucos circunsistunt ac interficiunt.
Eo die equites urbe egressi, totidem fere
numero pedites delegerant: qui inter eos
tanta uelocitate uersabantur, ut equorum
cursum adæquarent. Hoc genere pugnæ
nostrí elusi sunt, qui in fugam compulsos
hostes arbitrati, eos temerè incertis ordi-
nibus insequuti, nō prius sequendi finem
fecerunt, quam sub muros & portas oppi-
di successerint: quo tempore hostes quam
primum in urbem se receperunt, & bom-
bardis, telis, sagittis, ac omni tormento-
rum genere uno impetu emissis, nos irorū

magnam stragem ediderunt, atque ex Ita-
lis eos dederunt in fugam, quibus non
magnus esset usus militiae. Quorum fuga
Rhodij Equites soli ad portas ciuitatis re-
stiterunt, aliquot Italos uiris fortibus ade-
iunctis, quos uirtus à turpi fuga dehorta-
batur, socijsq; fugientibus, se ad signum
nostrum conuerterant. Nos id quod acci-
dit postea, euenire posse suspicati, ut ho-
stes nostrorum fugam conspicati, in eos
irruptionem facerent, in angustum intra
colles & tumulos locum, ubi pauci mul-
tos morari possent, signum nostrum retu-
limus. Locū autem natura hæc erat: Tota
circum oppidum regio tumulis frequen-
tius referta est, intra quos via posita, obli-
quis orbibus (ut tumulorum fert situs)
ducit ad urbem. quæ ubi tumuli coēunt,
patet angustius: ubi uero latiori spatio le-
retrahunt, illic etiam via latius intendi-
tur. Non sefellit nos suspicio, non enim
prius in angustias peruenimus, quam ho-
stes ex oppido eruperunt, ac effuso cur-
su in nos impetum fecerunt: quumq; se
proprius intulissent, more suo retrocede-

DE EXPEDITIONE

bant, ut ab angusto nos loco in patentios
rem allicerent, ac circumuentos occideret.
Ut autem se nihil proficere uiderunt, in col-
les & tumulos, qui nobis prominebant,
pedites immiserunt: ut inde lapides & tes-
la iacularentur. Quaeque ex nostris, armis te-
cti non essent, uitare non poterant: unde ac-
cidit, ut plures pugna excederent, & nume-
ro plurimum minueremur. Quum tamen nihil
quod nobis indignum esset committeremus,
hostes indignati tam parvam manum, tan-
tas suas copias distinserunt: minus rem ge-
tare constituunt: & protinus equis incitatis
nos hostibus aggrediuntur, ad quem uitam
plurimum arma nostra ualuerent. Quum uero
uideremus salutis nostrae subsidiū in vir-
tute positum esse, potius esse duximus,
virtutis nostrae dimicando memoriam re-
linquere, et si moriendū esset, damnū ali-
quod hostibus inferre, quam turpiter in-
fugam uersos ab illis cōcidi. Hoc nostrū
institutum adiuuabat, quod breui nobis
Cæsarē affore subsidio sperabamus. qua-
spe erecti, & hostes irruentes hostilibus su-
stinebamus: & quum se nobis insinua-
rent, non dato regrediendi spatio, confo-

AFRICANA.

diebamus: cui iniuriæ eo erant oportuniores, quod nudi in pœlio uersarentur. Quare animadueria, tanto illi spatio pedem retulerunt, quantum hastilia nostra pateret in longitudinem: quo ex loco tela & hastas, qua parte corpus nostrum apertum erat, iniiciebant, & balistis, quibus arma transfodi posse putabant, nos appetebat. ea quum à consertis uitari non potuissent, & uirtuti locus relictus non esset, aliquot eorum, qui in primo ordine pugnabant grauiter uulneratis, ordines nostros perturbarunt, ac loco summouerunt. Quo tē poris momēto Cæsar cum omnibus Germanorum copijs nobis adfuit subsidio. quem hostes conspicati, parumper constiterunt, ac nobis colligendi nostri potestatem fecerunt. Cæsar quo loco maiore interuallo tumulos intermitti demonstrauimus, agmen constituerat, quod quantum esset, hostes dijudicare non poterant ob itineris angustias, quæ inter eos & agmen erant interpositæ. Quamobrem cognoscendi causa, se proprius incitarunt, at quod uiderent profici nihil posse, queriti ne si no

DE EXPEDITIONE

biscum prelio contenderent, & sibi necessariò in oppidum reiugiendum esset, nostri una immixti introirent, oportuno tempore se receperunt, ac in agmen bombardas emiserunt. Ibi Cæsar non ita longè abfuit à periculo. ipse enim quum in primis ordinibus milites adhortaretur, bombardæ, aliquot eorum quibus cum uerba faciebat, extulerunt: ita tamen ut ipse neque ullam timoris significationem ediderit, neque orationem suam interruperit, neque uultum mutauerit: sed ea fortitudine & animi præsentia substiterit, qua in maxima tranquillitate esse solet. His gestis rebus, quum id quod uolebat Cæsar esset consequutus, ut nos laborantes periculo eximeret: compulsis in oppidum hostibus, paucis Germanorum desideratis, in castra suos reduxit. Ex Equitibus uero Rhodijs, qui uix centum numerum implebant, ad muros urbis octo bombardis extincti sunt: ex conflictu autem saucijs triginta euaserunt. ex Italis qui se nobis aggregauerant, mortuorum numerū nō teneo, neque quot ex pugna uulnerati sint
clapsi

AFRICANA:

elapsi. Nam quum grauissimè sautcius ere
 ptus essem, & uehementer ex uulneribus
 laborarem, adire potui neminem, qui uul-
 neratorum aut mortuorum mihi nume-
 rum explicaret. Interea dum uenti, hostes,
 & pluuia terra nos duriter exagitant, mari-
 naues longè durius afflictantur. ita enim
 uis uentorum mare commouerat, ut quā
 naues incuteret, neque anchoræ neque fu-
 nes obstant, quominus in terram ejce-
 rentur, quod si quæ funium multitudine
 retinerentur, tanto impetu concutieban-
 tur, ut stupis quibus tabularum rimæ &
 commissuræ impleri solent, euulsis, aqua
 complerentur & obruerentur. Rem in-
 tantam infelicitatem proclinatam adau-
 gebant Numidæ: qui uiso naufragio, ad
 litus magno numero conuenerant, ut q̄s
 fortuna in terram exportaret, eos transfo-
 derent. adeò utrum in terram elabi, an
 submergi præstaret, nesciretur. His rebus
 p̄motus Cæsar, ad duo millia Hispanorū
 immisit, q̄ repulsis hostibus, nostris essent
 præsidio: quorū aduētus q̄ plurimis salu-
 tē attulit, sed hoc consiliū q̄uis reprehēdi-
 non

DE EXPEDITIONE

non possit, euenit incommodè. Nā cum
nautæ tutos se esse cognoscerent, si ad ter-
ram applicarent, minori contentione uim
tempestatis ferebāt, & proclivius in terrā
nauem impingebant: ex quo naufragium
effectum est insignius. Hac tempestate cē-
cum & triginta naues desideratæ sunt: ē
quibus triremes quatuordecim, lōgo ma-
ris conflictu collabefactæ, in terram eie-
ctæ sunt. Quem casum tanta animorum
confestatione & desperatione excepit
exercitus, ut nulla unquam maior extite-
rit. quum enim milites in terram fuerunt
expositi, quo essent ad uiam expeditiores,
sine impedimentis emissi fuerant, & duo
rum tantum dierum cibaria secum tule-
rant, eaçq; superioribus diebus consum-
pserant. Vnde magna nauium parte a-
missa uerebantur, ne si reliquæ quoque
naufragium facerent, tum esset mors op-
petenda, quod nullas haberent naues ali-
as quibus reportari posse: nullaçq; res
adesset, qua inediam tolerarent, quāue se
ab imbris defendenter, quum etiam
deessent tormenta & machinæ, quæ usui
essent

AFRICANA.

essent obsidēdā urbi, nec alī unde com
meatus peti posset: de urbē expugnatio=
ne desperabant. Hæc perturbatio totum
illum diem & sequentē noctem tenuit ex
ercitū. Triduō pōst mare paululum de
ſæuitia remisit, ſed quum adhuc remis arā
ri non posset ad commeatū ex nauibus
importandū, Cæſar equis, quos nauis=br/>bus eduxerat, interfectis, tribus diebus
milites refecit. Quæ calamitas eo incom=modius obtigit, quod unā cum nauibus
magna copia frumenti, farinę, panis bisco
cti, leguminum, uini, olei, carniumq; lale
conditarum, ac rerum omnium ad uictū
exercitus ſpectantium amissa eſt: equo=rum item magnus numerus interiit: quo
acceſſere omniū generū tormenta, quæ ad
nauiū tutelā, & alia quæ ad urbē oppu=gnationē comparata fuerāt, quorum ma=gnam partem hostes tranquillitatē na=cti, pifcari & extrahere poterunt. Deniq;
tanta rei frumentariæ iactura facta eſt, ut
angustè ſuperfuerit ad milites reportan=dos. Tot incommoſis acceptis, Cæſar ur=biſ oppugnationem in æſtatem reiçere
inſtituit

DE EXPÉDITIONE

Instituit, & milites reducere. Itaque iussit
eam litoris partem petere, qua naues com-
modè conscendi possent. Hoc uero fuit
omnium miserrimum, quod milites ine-
dia atque imbribus, quibus triduo perpe-
tuo maduerant, tam tracti & exhausti fue-
rant uiribus, ut plerique eorum, quum ui-
am ingrederetur, exanimati collaborerent:
& terra usque eò erat cœnosa, ut nec in ea
recumbi, nec commode incedi posset. ut
si uellēt milites quiescere, hastili altè in ter-
rā defixo niterentur, ac e modo se quieti-
darent. Tot tamē tātasq; difficultates sin-
gulari animi magnitudine præsentiaq;
ui-
cerunt milites nostri: ac tribus fluminibus
uado trāmissis, & si interim solis humeris
aqua extarent, totidem diebus iter con-
fecerunt. Eò profecti, unde naues consen-
di oporteret, dum Itali & Germani impo-
nuntur, Cæsar Hispanos, de quibus maxi-
mam uirtutis habebat opinionem, contra
hostes in armis esse iussit: & operam de-
dit, ut quam posset fieri celerrimè, illi ad
naues deferrentur: ne si mare intumesce-
ret, impediret scapharum nauigatio. quae-
rum

AFRICANA.

rum quoniam magnum numerum tempestas absorbuerat, transportatio militū tardius processit: nec citius quam bidui spatio naues instrui, ac militibus completri potuerunt. Triduo post quum dimiciam ierè Hispanorum partem naues accepissent, uentis paulatim crescentibus, inflato mari ægerrimè reliqua pars ad naues transferri potuit. quod præsentientes nautæ, ut quæc primùm nauis onusta fuit, ita prima cursum cepit. Vnde salus eorum secuta est, qui primùm naues concenderant: quæ antequam egredii tempestate prohiberetur, soluerant, ac uela expanderat: reliquas uero, quæ tardius onus acceperant, tempesta morata est, ut una Rhodiarum nauium fractis funibus anchorarijs, parum absfuerit quin in scopolos torqueretur: sed tantum remis cōtenderunt remiges, ut eam in altum paulum promouerint. quæ ut ex scopolis erupta est, nautæ & gubernatores satius esse iudicarunt, se mari committere, quam fluctibus frustra reluctari. Hanc tres alię secutæ, in Bugiam, eò uentis aspirantibus exasē

DE EXPEDITIONE

euaserunt: quod non nisi magno labore
& periculo effectum est. Vna enim nauis
amisso temone, fluctibus ferè obruta est.
Cæsar autem expectabat, ut remisso uen-
torum impetu, in altum naues remulco at-
traheret, ac demum cursum teneret. Quod
ubi aliquandiu frustra tentasset, ueritus
ne ingrauescente tempestate tandem ad
scopulos adigeretur, quatuor triremibus,
quæ omnium tutissimum locum cepe-
rant, cæteris nauibus auxilio relictis, sol-
uit, ac naues Rhodias sequutus est. Po-
stridie quām Bugiā appulit, triremes ad
Argieram cæteris nauibus subsidio reli-
ctæ nuntiarunt eas; quum tempestatem
ferre non possent, fractas fuisse, & ad li-
tus projectas: militum magnum nume-
rum fluctibus demersum, reliquos inter-
rā ejectos in orbem pugnandi gratia coi-
uisse, ac desperatione debilitatos in dedi-
tione spem uitæ collocaisse; eos deniq; ad
urbem properantes à Numidis ad unum
omnes interfectos fuisse. Hunc exitum
habuit bellum Africanum. Tempus &
laborum diuturnitas nos Bugiā appulsos
ad

ad quietem vocabant, sed locus id minime patiebatur. Portus enim Bugiæ quum nullum terræ habeat obiectum, ad coercendam uim uentorum ab Europa spirantium, nostris nauibus stationem infidam præbuit. Mare enim uentis incitatum tanta uinaues quatiebat, ut non multo minore periculo quam ad Argieram substiterint. Bona fors eò nauem unam inuexerat, frumento reliquoq; commeatu onustam: sed eadem excepta tempestatibus, in conspectu nostro paulò post depresso est. Quæ tempestates, quanuis nulla nos alia insigniori affecerint calamitate, non ab re tamen mihi uisum est narrare, quam nobis metus occasionem dederint. Vbi plures dies intolerantius mare nos sollicitasset, nocte ineunte, maiore erupit iracundia: & quo altius nocte tegeretur, eo se magis exasperabat, donec in tantam creuisset insaniam, ut nos multas horas omni spe reconciliationis destituerit, quod tandem adueniente die, quum iam omne fere uirus euomuisset, suæ incontinentię perfiduit, atq; erubuit se tam fœdo uultu solle-

DE EXPEDITIONE

inspiciendum ingerere, tanta tamen eius
fuit incivilitas, ut et si scirem me gratum ei
minime facturum, eam non reticerem. Prin-
cipem triremium Sicularum tanta ui in la-
tus impulit, ut malum & antennas extra
nauim deiecerit. Aliam præterea ex nauis-
bus Siculis tanta animi offensione affli-
ctauit, ut ipsam ingrediens nauem remi-
ge uno apprehenso, ei tibia quæ catena re-
uincta fuerat, euulsa ex corpore, truncū ex
tra nauim emiserit. Rhodijs nauibus nō
minus fuit iniurium, nam erepta ab una
nauis scapha, dum eam præter nauim uici-
nā inueheret, tam altè extulit, ut nullo ferè
labore in summam triremem inciderit: ac
ipso casu scanno fracto, remiges duos eli-
serit. Deniq; ut in omnes qui ad Argierā
integri relicti erant, suam sœ uitiam experi-
retur, Comitem Anguarium ab iniuria
noluit immunem esse, atque ita ei fuit infe-
stum, ut interim à Sanctis nō abstinuerit,
tanto enim furore in puppim inuolauit,
ut & ipsam puppim euerterit, & sanctum
Andream qui puppi in signum erat appo-
litus, præcipitem egerit. A ceteris quos ad
Argie

AFRICANA.

Argieram ultus erat , manus continuit.
Vna res tum nobis salutem attulit , quæ
aliâs exitio esse solet. Quo loco oceanus
in mediterraneas regiones influit , Africâ
ab Europa ualde angusto interuallo diui-
dit: quibus coactus angustijs, rapidius fer-
tur, donec locum patentiorum nactus sit,
quo se liberius effundat. & quo tempore
æstum patitur, quod bis in die contingit:
quantoue proprius angustias accurrit , eo
maiore est nauigantibus ineunda rapidi-
tas, ex quo occidentales regiones æstus in
iurię magis patent. Præterea quo proprius
ad lunam plenam acceditur, eo magis re-
dundat Oceanus , & fiunt æstus eius ma-
iores , inq; mare nostrū introit incitator:
qui luna decrescente similiter decrescunt,
unde uentorum tempestatumq; commu-
tationes proueniunt. Hęc ergo rapiditas,
siue ut nautæ dicunt , aqua currens , æstu
maris incitata , excurrit quo usq; terrarum
objectu retorqueatur . quod ferè usu ue-
nit, quum Oceanus cōmutationem q; estus
patitur , & ab Europa in contrariam par-
tem recedit. Itaq; cum Bugiæ essemus, ut

C ii

DE EXPEDITIONE

dixi, erat mare turbulentissimum, tantaqp leuitate ferebatur, quanta uis uentorum impelleret. Sed quoniam luna tum plena esset, & propterea aestus Oceani maiores, currens aqua uelocius incurrebat: cui uis uentorum coniuncta, magnam rapiditatem addiderat, ob eamqp causam, mare quantum uis commotum longo spatio accurrebat, atque ad terram citius perueniebat, itaqp quanto maiore impetu delata esset, eo maiore ui reflectebatur: atque in mare conuersa, eius reprimebat & tardabat impetum, ita ut minore ui mare naues incuteret. quod nisi ita euenisset, nauium firmissima quaque sex horas fluctus maris sustinere nequiuisset. Postea tempestatem nobiscum mare mitius egit, quu setamē innauigabile preberet, nos inediæ conficiendos tradiderat, à quo periculo non procul absuimus. Bugia enim quam uis nostra esset, ea tamen est naturali loci, ut exiguè nos iuuare posset. Est n. oppidum situm in montium altissimorum declivitate, cuius fines tam latè patent, quantum in circuitu ipsum oppidum occupat soli,

AFRICANA.

soli. Nám Mauri quibuscum nostri conti-
nenter bellum gerunt, imperant toti finiti-
mæ regioni : proinde quicquid nostris
frumenti est, ab Hispania importatum
habent. In illius oppidi propugnacu-
lum tres turres institutæ sunt: quas una
cum oppido ducenti milites custodiunt.
Ad eos iam multo tempore naues ab Hi-
spania non uenerant: tantaque multitu-
dine uno tempore eò confluximus, ut no-
stri iuuandi non magnam habuerint fa-
cilitatem. His in angustijs Cæsar consti-
tutus, trium dierum supplicatione decre-
ta, triduo post expiatis confessione pecca-
tis, panem sacrum religiose edit, quem
omnes aulici imitati, iram Dei deprecati
sunt. Senescente luna uenti rabie sua ce-
ciderunt, & mare paulo placidius effe-
ctum est: quo tempore, ne hanc disceden-
ti oblatam occasionem è nauibus amitte-
remus, Dux Equitum Rhodiorum Impe-
ratorem adjit, atque abeundi commea-
tum petijt: quo impetrato, proficiscente
etiam Ferrando Gonzaga, una ex eo loco
solujimus, & iter Tunetum uersus te-

C iiij

DE EXPEDITIONE

nuimus, quò quadriduo remis peruenimus. Cæsar uero, quum Andreæ Doriæ classis præfecto non uideretur nauigatio ni tempus esse idoneum, eo loco commodiorem tempestatem expectabat. Tunet omnibus rebus ab eius urbis rege refecta classe nostra, nacti tempus oportunum, Drepanum Siciliæ oppidum contendimus: ubi bido uotis D. Mariæ, quæ ab Annunciatione nomen habet, perioluens insumpto, Panormum deuenimus. Quo loco Siculis nauibus relictais, Rhodæ Messanam delatae sunt. Vnde quum me subiisset negotiorum recordatio, quæ in meum ab Africa redditum distuleram, ad ea me recipere constitui, & consensu naui speculatoria Neapolim, ac inde Romanam multis tempestatibus delatus sum. Vbi quoniam uulnera difficultate & magnitudine uiarum recruduerant, ita intermittere tatis per coactus sum, dum me de uia fessum, & uulneribus afflictatum colligerem. Interim ne omnino essem ociosus, hanc expeditionis Africanæ narrationem exaravi, in qua multorum illustrium uirorum causas, &

AFRICANA.

fus , & rei familiaris iacturas consulto
pr̄termisi.eas enim,quòd immensæ sint,
neque accuratè explicare , neque
etiam omnia memoria tenere
potuissem.

F I N I S.

